BIBLIA LATINA, BD. 2
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



porte domus domini noue. Et locu
ti sunt sacerdotes et prophete ad prin
cipes et ad omnem populum dicentes
Iudicium mortis est uiro huic quia
prophetauit aduersus ciuitatem istam
sicut audistis auribus uestris. Et ait
iheremias ad omnes principes et ad
uniuersum populum dicens. Dominus
misit me ut prophetarem ad domum
istam et ad ciuitatem hanc omnia uer
ba que audistis. Nunc ergo bonas fa
cite uias uestras et studia uestra et
audite uocem domini dei uestri et peni
tebit dominum mali quod locutus est
aduersum uos. Ego autem ecce in mani
bus uestris sum. facite michi quod bo
num et rectum est in oculis uestris
Verumtamen scitote et recognoscite quod
si occideritis me sanguinem innocen
tem tradetis et contra uosmet ipsos et
contra ciuitatem istam et habitatores
eius. In ueritate enim misit me domi
nus ad uos. ut loquerer in auribus
uestris uniuersa uerba hec. Et dixe
runt principes et omnis populus ad sa
cerdotes et prophetas. Non est uiro
huic iudicium mortis quia in nomine
dei nostri locutus est ad uos. Surrex
erunt ergo uiri de senioribus terre et
dixerunt ad omnem cetum populi lo
quentes uerba hec. Micheas de mo
rastim fuit propheta in diebus ezechie
regis iuda et ait ad omnem populum
iude dicens. Hec dicit dominus exer
cituum. Syon quasi ager arabitur
et iherusalem in aceruum lapidum erit
et mons domus domini in excelsa
siluarum. Nunquid morte condempnauit

eum ezechias rex iude et omnis iuda.
Nunquid non timuerunt dominum
et deprecati sunt faciem domini et pe
nituit dominum mali quod locutus
fuerat aduersus eos. Itaque non facia
mus malum hoc grande contra ani
mas nostras. Fuit quoque uir prophetans
in nomine domini. Urias filius semey
de cariathiarim et prophetauit aduer
sus ciuitatem istam et aduersum ter
ram hanc iuxta uniuersa uerba iheremie.
Et audiuit rex ioachim et omnes
principes et potentes uerba hec. et quesi
uit rex interficere eum. Et audiuit
urias et timuit fugitque et ingressus
est egyptum. Et misit rex ioachim
uiros in egyptum elchanam filium
achobor et uiros cum eo in egyptum
Et deduxerunt uriam de egypto et
adduxerunt eum ad regem ioachim
et percussit eum gladio et proiecit ca
dauer eius in sepulchrum uulgi ig
nobilis. Igitur manus alchanam
filii saphan fuit cum iheremia ut non
traderetur in manus populi. ut inter
ficerent eum. XXVII
In principio regni ioachim filii iosie
regis iuda. factum est uerbum istud
ad iheremiam a domino dicens. Hec
dicit dominus ad me. fac tibi uincula
et cathenas et pone eas in collo tuo et
mittes eas ad regem edom et ad regem
moab et ad regem filiorum ammon
et ad regem tyri et ad regem ~~tyri~~ sydo
nis in manu nunciorum qui uenerunt
iherusalem ad sedechiam regem iuda et
precipies eis ut ad dominos suos
loquantur. Hec dicit dominus de